

Bellarmin au cardinal Baronius.

Rome mai ou juuin I599

¹ Ill^{me} et R^{me} Domine

In superioribus iubilaeis, si recte memini, tres bullae fieri solebant, una indictionis iubilaei, altera suspensionis indulgentiarum, tertia facultatum absolvendi e casibus reservatis et censuris et vota commutandi, aut etiam in eis dispensandi. Haec tertia bulla nunc desideratur. Ex quo fit ut hic iubilaeus, in quo dicuntur aperi-ri thesauri ecclesiae, et liberalissime effundi dona spiritualia, plus habeat laboris et minus utilitatis, quam ordinarii iubilaei, qui ex-tra hunc annum concedi solent. In illis enim iubilaeis potest unus-quisque in sua civitate visitando unam aut alteram ecclesiam lucrari indulgentiam plenariam, eligere confessarium ex approbatis, et ab eo absolvi a casibus reservatis, etc. Neque satis provisum esse videtur ex eo quod Poenitentiariis Sancti Petri, Sancti Ioannis et Sanctae Mariae Maioris concessae sunt aliquae extraordinariae facultates. Nam neque id notum est vulgo, neque possunt Poenitentiarii tot milli-bus hominum satisfacere. Itaque optimum esset, si R. V. Ill^{ma} aliquid huiusmodi Sanctissimo D. N. suggereret.

Ill^{mae} R. V.

humillimus servus

Rob. Card. Bellarminus.

²⁰

Arch. Vat. Instrumenta Miscellanea 4937, fol. l. Autogr.